

Michael Cobabus Johannes Fridericus Bercovius

Disputatio Analytico-Theologica, Exhibens Partis Prioris, Capitis I. Epistolae ad Romanos Analysis

Rostochi[i]: Richelius, 1664

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740039083>

Druck Freier  Zugang



R. u. Med 1664.
Michael Lobaber
Vet: Johann Friedrich Beroulli

I. N. D. N. J. C. 46.
DISPUTATIO 4.
ANALYTICO-THEOLOGICA,
Exhibens

PARTIS PRIORIS,

CAPITIS I. 1-17.

EPISTOLÆ AD ROMANOS ANALYSIN,

palerium
vid. n. 6.

disp. à Berlin

2. fo 17-31.

vide Tom: FFFF, 1

32.

Quam
Amplissimæ Facultatis Theologicæ
consensu,

PRÆSIDÆ

DN. MICHAELE COBABO,

S.S. Theologiae Doctore & P.P.

DN. Hospite & Mæcenate multis
nominibus devenerando,

Ad diem 27. Aug. horis antemeridianis in Au-
ditorio Majori publicæ disquisitioni
summittit

JOHANNES FRIDERICUS
BERCOVIUS,

Berlin. March.




ROSTOCHI

Typis Johannis Richelii, Sen. Typogr.

Anno cl. 1. c. LXIV.

1664



DISPUTATIO
ANALYTICO-THEOLOGICA,
super
Partem Priorem

CAP. I. EPISTOLÆ AD ROMANOS.

Respond.
JOHANNE
FRIDERI-
CO BER-
COVIO,
Berlin.
March.

EPISTOLÆ AD ROMANOS DUÆ SUNT PARTES
PRÆCIPUÆ: PRIOR CONTINET LONGAM DISPU-
TATIONEM DE VARIIS QVÆSTIONIBUS AD FIDÉ
CHRISTIANAM SPECTANTIBUS: POSTERIOR EX-
HIBET NOBIS PRÆCEPTA DE MORIBUS. DISPU-
TATIONEM APOSTOLUS ITA INSTITUIT, UT IN
ILLA NON TANTUM ADVERSARIORUM ANTICI-
PET, & DILUAT OBJECTIONES, SED ETIAM PIO-
RUM SUCCURRAT INFIRMITATI, CUI, QVOTIES
ANIMADVERTIT, EOS OFFENDI, VEL HÆRERE, SA-

LUTARI IN INFORMATIONE MEDETUR, IDQ; TUM DIGRESSIONIS, TUM OCCUPATI-
ONIS SCHEMATE. HOC QVI DILIGENTER ANIMADVERTIT, SCRIBIT NON ABS RE
THEOLOGUS QVIDAM IN COMMENTARIO SUPER HANC EPISTOLAM, MULTO
FACILIUS ILLAM INTELLIGET, QVAM QVI OMNIUM VETERUM COMMENTATI-
OS IN HANC EPISTOLAM SCRIPTOS PERVERSERIT. QYEMADMODUM AU-
TEM MODUS ISTE DOCENDI EST UTILISSIMUS, ITA QVOQUE FREQUENTER USUR-
PATOR AB ECCLESIA DOCTORIBUS TOTO EXPENDENTIBUS ANIMO, & ACCU-
RATÆ METIENTIBUS, QVID AUDITORES OFFENDAT, QVID PRO RATO HABE-
ANT, & QVONAM ANIMI IPSORUM PROPENDENT, UTILLA, QVÆ POSSUNT
OBJICI, PRÆOCCUPENT, & ENUCLEENT. NAM VALDE BONUM EST, AIT AU-
GUSTINUS, UT QUICQUID CONTRADICI POTES, SI OCCURRERIT, REFUTETUR, NE IBI OC-
CURRAT, UBI NON ERIT, QUI RESPONDEAT. EO AUTEM TEMPORE, QVO PAULUS
SCRIPTIS HANC EPISTOLAM, ALII EX JUDÆIS NON CONVERSI, TOTUM EVAN-
GELIUM DE MESSIA EXHIBITO REJECERUNT: ALII EX ILLIS CONVERSI LEGEM

A2

& EVAN-

CAPUT I.

2. & Evangelium confuderunt, & vocationem gentium ad Regnum Messiae oppugnare non dubitarunt: Alii ex Ethnicis & Philosophis gentilibus Christiani facti Judæis insultarunt; eosq; absoluē refractos esse, judicarunt: Horum errores Apostolus argumentis indubiiis confutat, & veritate Evangelicā confirmata, universam Ecclesiam præclarè munit, & ædificat.

Principiō more veterum proponitur *subscriptio*, eiq; subiungitur *inscriptio* cum Voto: *Subscriptio* vero est exornata, & amplificata præclaris elogis, ut illis lectis, Romani ita colligerent, & argumentarentur.

Paulus est servus Jesu Christi, Vocatus Apostolus, segregatus ad prædicandum Evangelium DEI de Filio Dei, E. Pauli Epistola benignè, & reverenter est acceptanda, sedulāq; attentione perlegenda, & assiduā meditatione studiosè addiscenda.

Antecedens proponitur v. 1, 2. 3. *Paulus servus Jesu Christi, vocatus Apostolus segregatus ad Evangelium DEI de Filio ipsius.* Ubi Paulus dicitur 1. servus à servitute nobilissimā & glorioissimā propter obligationem specialem, qvā obstrictus fuit Domino nostro Jesu Christo, Concredidum enim erat ipsi Evangelium ex mandato Salvatoris nostri Dei; Titum 1, 3.

2: Apostolus ab officio, qvod Primariis, & universæ Ecclesiæ doctoribus N. T. immediate à Christo, erat concredidum. Etsi enim Paulus die Pentecostes visibili Spiritus S. effusione ad officium Apostolicum non fuit inaugurus sicut reliqui Apostoli, modo tamen extraordinario Spiritu S. donatus, Apostolorum cœtui divinitus est adjunctus. Qvam ob causam & hic, & alibi sese nuncupat Apostolus, imò Apostolus, qui in nullâ re inferioris summis Apostolorum, 2 Cor. 11. v. 5. acceperat enim per immedietam vocationem sicut reliqui Apostoli mandatum ubiq; docendi & Ecclesiam fundandi Act. 9, 15 Rom. 15, 20. 21 & Cor. 3, 10. In hac significatione Apostolus non dicitur Barnabas. Etsi enim partes Apostolicæ functionis inter Apostolos ita sunt distributæ, ut Petrus, Jacobus, & Johannes inter Judæos, Paulus & Barnabas inter gentes prædicarent, imò Barnabas Act. 13, 2. ad partem qvandam.

dam functionis Apostolicæ unâ cum Paulo fuit segregatus, segregatio tamen illa à Spiritu S. facta non fuit prima, & immediata vocatio, sed tantum destinatio ad certum locum.

3. Segregatus ad Evangelium Dei de Filio ipsius prædicandum, & propagandum. Ab utero namq; matri per gratiam suam Deus ipsum vocaverat, ut Filium per eum revelaret. Galat. 1 v. 15. ideoq; à Christo in via Damascenâ immediate vocatus ad Ananiam missus est, qui imponeret ipsi manus, ut Ecclesiæ de ipsius vocatione constaret; Actor. 9 v. 17. Quæ vocatio solemniter manifestata est, cap. 13, 2. quando ad gentes alegandus à Spiritu S. Gentium Doctor est declaratus, ut ad Evangelium DEI apud gentes prædicandum ipsum legitime vocatum esse, constaret, & cognosceretur.

Fuit autem Paulus Judæus Tarsensis, civis non obscuræ civitatis Cilicum, Acto: 21, 39. Judæus non ex peregrinis, sed ex Judæis, vel Ebræis ex Ebræo Phil. 3, 5. Judæus natura Gal: 2, 15. Pharisæus & Pharisæi filius, Act: 23, 6. Ab adolescentiâ vitam egit Hierosolymis, c. 26, 4. Ubi educatus ad pedes Gamalielis in Patriâ lege accurate institutus est, cap. 22, 3. In Judaismo profecit super multos coævos. Gal: 1, 14. Persecutor Christianorum fuit acerrimus in magna illâ persecutione, quando, Stephano lapidibus obtuto, membra Ecclesiæ Hierosolymitanæ dispersa sunt per Judæam, & Samariam, exceptis Apostolis: Acto: 8, 1. In via Damascenâ secundum ineffabilem Dei misericordiam conversus organum eleatum factus Act: 9, 3; cap. 26, 13. & heroico Zelo, erroribus Judæorum, & gentilium repressis, Evangelium longè lateq; propagavit.

Obj. Et I.

Paulus prædicat Evangelium novum, vel Evangelium recens inventum, E. Pauli Epistola est repudianda, & non reverenter acceptanda.

Resp. Apost. ad antecedens Negando, quia Paulus non humana, sed divinâ Autoritate prædicat Evangelium, est enim ἡλικὴ ἀπόστολος, vocatus Apostolus.

2. Segregatus ad prædicandum

A 3.

candum Evangelium, quod (a) est Evangelium Dei de Filio ipsius, vel cujus causâ Principalis est ipse Deus, & objectum Principale est Filius Dei. (b) Deus promisit per Prophetas in Scripturis S. quod proponitur v. 1. 2. 3. Ubi opponens remittitur ad scripturas Prophetarum, ut ex illis discat, Apostolum nihil dicere, vel annunciare præter ea, quæ Prophetæ dixerunt futura esse, & Moses, sicut expressè legitur, Act. 26, 22.

Objec. II.

Evangelium, quod Paulus prædicat in V. T. est promissum. E. Evangelium, quod Paulus prædicat est novum, neg. in V. T. prædicatum.

Antecedens est Apostoli, Consequens probatur, quia promissionis objectum est futurum. Si igitur Evangelium in V. T. est promissum, quâ ratione dici potest, quod illud in V. T. sit prædicatum.

Resp. ad consequens Neg. quia Evangelium Dei de Filio ipsius in Vet. T. non est promissum simpliciter, sed secundum quid: Quamobrem hoc loco non simpliciter Apostolus dicit, quod sit segregatus ad Evangelium Dei de Filio ipsius, sed quod sit segregatus ad Evangelium Dei, de Filio ipsius, qui natus est ex semine Davidis. Eo autem modo Evangelium non est annunciatum in Vet. Test. sed promissum, nam Prophetæ prædicarunt Christum esse passum, ac primum ex resurrectione mortuorum lucem annunciatum huic populo & gentibus Acto. 26, 23. Apostolus autem prædicat, Christum passum esse. Quare cap. 10. hujus Epistolæ v. 6. 7. 8. hortatur Iudeum, ut non amplius dicat in corde suo, quis ascendet in cœlū? Quis descendet in abyssum? Nam dicere, vel interrogare, quis ascenderet in cœlum? est Christum deducere, vel negare, Christum in cœlum adscendisse, & dicere, vel interrogare, quis descendet in abyssum? est Christum ex mortuis reducere, vel negare, Christum tertiam die resurrexisse, nostraq; resurrectionis factum esse autem.

Ob.

Object. III,

Dominus noster Jesus Christus est Filius Davidis.

E. Dominus noster Jesus Christus non est filius DEI.

Antecedens est Apostoli dicentis, Christum esse natum ex semine Davidis. Conseqvens probatur, quia Filius Davidis, & Filius Dei totâ naturâ differunt: de quo igitur dicitur, quod sit Filius Davidis, de eo negatur, quod sit Dei Filius.

Resp. ad Conseqvens Neg. quia Christus non est Filius Davidis simpliciter, sed secundum carnem, vel humanam naturam, quod 1. proponit v. 3. qui natus est ex semine Davidis secundum carnem, ubi particula καὶ vel secundum, non tollit Majestatem carni Christi communicatam, sed requirit, ut Christus non tantum ex humanâ, sed etiam ex divinâ aestimetur naturâ. Deinde è semine Davidis natum esse notat familiam, & originem Christi secundum humanam naturam, cui non opponitur conceptum, vel natum esse sine virili semine. Utrumq; enim sine contradictione de Christo dicitur. Prius est descriptio naturæ, familie & originis: Postius est descriptio conceptionis miraculosa, quippe quæ facta est sine commixtione maris & foeminae, Matt. 1, 21. Lue. 1, 35. Carnis autem appellatione denotatur synechdochice sicut Joh. 3, 14. tota Christi humana natura, vero corpore, & animâ rationali constans, inq; unitatem τοῦ λόγου inenarrabili mysterio realiter cum omnibus attributis assumptiona; Competit enim Christo notatio perfectæ naturæ humanæ, dicitur enim in scripturâ homo, Puer, Filius Abrahæ, Filius Davidis, Filius Mariæ. Dicitur autem natura humana Christi propter assumptionis humanæ veritatem, ut non Phantasma, vel spiritualem substantiam, & corpus aerium sed verum corpus humanum carne, & ossibus constans, vel veram naturæ humanæ substantiam filium Dei assumptione, indubitatò credamus.

2. Probat ex effectu, quod Dominus noster Jesus Christus, qui natus est secundum carnem ex semine Davidis, sit Dei Filius, sequentibus argumentis:

Prī-

Primum Argumentum.

Dominus noster Jesus Christus, qui natus est secundum carnem ex semine Davidis, demonstratus est Dei Filius ex duabus vel potenter.

E. Dominus noster Jesus Christus, qui secundum carnem natus est ex semine Davidis, est Dei Filius.

Antecedens proponit v. 4. *Ez 37. 9. q̄d. ex dñs p̄p̄, q̄d demonstratus est Dei Filius virtute, seu potentia, vel ex duabus. Cūq̄d. q̄d. n̄ḡt̄r̄, virtute signorum ac prodigiorum. Rom. 15. 19. Ubi Apostolus contradicentem remittit ad miracula Christi, ut ex illis colligat, q̄d non tantum sit Filius Davidis, sed etiam filius Dei. Nam finis miraculorum Christi est, ut ex illis cognoscatur, q̄d sit Messias, & Filius Dei. Multa quidem & alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum. Hæc autem scripta sunt, ut credatis, Jesum esse Christum Filium Dei, Joh. 20. 29. Apostoli quidem habuerunt potestatem miracula faciendi ex gratia, & miracula fecerunt ministerialiter, aliena virtute, neque in suo, sed Christi nomine. Act. 3. 6. c. 12. 16. Christus autem habet potestatem miracula faciendi ex operis ex natura, & auctoritate suæ vel principaliter miracula facit, virtute propriæ. Nam quos vult vivificat. Joh. 5. 21. vitamq; in seipso habet, vel alio modo, quam creatura, v. 26. Et pariter facit, quæ Pater facit v. 23. Inq; sui nominis gloriam, suam enim gloriam, gloriam unigeniti Filii à patre, Joh. 1. 24. manifestavit miraculo aquæ in vinum conversæ c. 2. 11. aliisq; potestatem dedit, miracula faciendi. Matth. 10. 1. Quæ prædicata manifestò declarant, q̄d Christus non tantum sit Filius Davidis, sed etiam verus Deus vel veri Dei Filius.*

Argumentum Secundum.

Dominus noster Jesus Christus, qui secundum carnem natus est ex semine Davidis demonstratus est Dei Filius per Spiritum Sanctum.

E. Do-

E. Dominus noster Jesus Christus, qui secundum carnem natus est ex semine Davidis, est Dei Filius.

Antecedens proponit v. eodem: qui demonstratus est Dei Filius per Spiritum Sanctum. Ubi Apostolus provocat ad testimonium, & revelationem Spiritus Sancti, sicuti enim nemo potest dicere Jesum Dominum, nisi per Spiritum Sanctum, 1. Cor. 12, 3. Ita quoque nemo potest dicere Jesum Filium Dei, nisi ex revelatione. Nam caro, & sanguis nobis non revelant, quod Christus sit Filius Dei viventis, Joh. 16, 17. Spiritus Sanctus autem testatur, & docet, quod Christus sit Filius Dei, nam Spiritus Sanctus est Spiritus ille veritatis, qui testatur de Christo Joh. 15, 26. Hujus ductu Paulus in Synagogis continuè prædicavit Christum, quod is esset Filius Dei. Act. 9, 20. 22. Nam Spiritus ille veritatis duxit Apostolos in omnem veritatem. Joh. 16, 13. Hinc in epistola priori c. 4. v. 14. 15. scribit: Nos vero spectavimus, & testamur, Patrem misisse filium, qui esset servator mundi. Quisquis confessus fuerit, Jesum esse Filium Dei, Deus in eo habitat, & ipse in Deo. Idem testati sunt reliqui Apostoli. Nam & vos testabimini, ait ipse Salvator, Joh. 15, 27. quia a principio tecum fuisti. Idem per verbum adhuc testatur Spiritus Sanctus in credentium cordibus.

Argumentum Tertium.

Dominus noster Jesus Christus, qui secundum carnem natus est ex semine Davidis, demonstratus est Dei Filius ex resurrectione mortuorum.

E. Dominus noster Jesus Christus, qui secundum carnem natus est ex semine Davidis, est Dei Filius.

Antecedens proponit v. eodem, qui demonstratus est Dei Filius ex resurrectione mortuorum. Ubi Apostolus remittit contradicentem ad gloriosam Christi resurrectionem, ejusque effectum efficacissimum, ut credat, Christum esse Dei Filium. Nam monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierunt, surrexerunt, qui egressi ex monumentis post resurrectionem ejus, introierunt in sanctam urbem, & apparuerunt multis. Matth. 27, 52. 53.

B

Hujus

Hujus resurrectionis causa efficiens est Dominus noster Jesus Christus. Quemadmodum enim in Adam omnes moriuntur, ita per Christum omnes vivificabuntur, 1. Cor. 15, 22. Ipse habet claves mortis. Apoc. 1, 18. Nam Filius, quos vult, vivificat Joh. 5, 21. Ipse est Dominus vivorum, & mortuorum. Rom. 14, 9. Princeps vita. Act. 3, 15. Primogenitus ex mortuis. Col. 1, 18. Qui igitur in statu exinanitionis erat humilis, obediens, & in formâ servi præbebat semetipsum obedientem usque ad mortem, mortem autem crucis, Phil. 2, 7, 8. Is propriâ virtute gloriosè resurrexit, quippe qui potestatem habebat ponendi animam suam, & rursus assumendi. Joh. 10, 18. Is templum corporis sui, sicuti prædixerat c. 2, 19. intra triduum erexit. Ille ascendit in altum, captivam duxit captivitatem, dona dedit hominibus, ascendit longè super omnes cœlos, ut impleret omnia. Illius vocem audient omnes, qui in monumentis sunt. Joh. 5, 21. Hæc & similia non patiuntur, ut quis dicat, Christum non esse Dei Filium.

Argumentum Quartum:

Per Dominum nostrum Jesum Christum Apostoli acceperunt gratiam, & Apostolatum ad obedientiam fidei inter omnes gentes pro ipsius nomine.

E. Dominus noster Jesus Christus est Dei Filius.

Antecedens proponit v. 5, 6. Per quem accepimus gratiam, & Apostolatum, ad obedientiam fidei inter omnes gentes pro ipsius nomine, inter quos estis etiam vos vocati à Iesu Christo. Ubi opponens remittitur ad efficacissimam Apostolorum vocationem, Spiritus Sancti effusionem, Ecclesiæ Christianæ apud omnes gentes collectionem, & propagationem, nomine, autoritate, & virtute Christi factam, ut desinat negare, Christum esse verum Dei Filium. Conseguens probatur: Nam particula 2. & h. 1. notat causam Principalem, sicuti Joh. 1, 3. 1. Tess. 4, 2. Dedit enim Christus Apostolis propriâ virtute dona Spiritus Sancti, cognitionem mysteriorum Dei, dona linguarum, virtutem miracula faciendi, & similia, ut ad obsequium doctrinæ Evangelicæ, vel Christianæ Religionis adducerentur.

cerentur omnes gentes. Non enim Paulus aulus est qvicquam lo-
qui, qvod non efficerit Christus per ipsum ad obedientiam genti-
um verbis & factis, virtute signorum & prodigiorum, virtute Spi-
ritus Dei. Rom. 15, 18, 19. Nomine Christi Apostoli legatione suâ
functi sunt. 2. Corin. 5, 20. Illis dedit Christus Spiritum Sanctum, ut
qvotcunq; peccata remitterent, illis essent remissa. Joh. 20, 22, 23.

Subscriptionem sequitur ἐπιγραφὴ vel in scriptio v. 7. *Omnibus*
qui *Roma* estis *dilecti* Dei, *vocatis* sancti. Ubi per omnes, qui *Roma*
sunt, intelliguntur Christiani, qui *Roma* vixerunt, & ratione origi-
nis fuere *Judæi*, aut gentes. Dicuntur enim 1. ἀγαπητοὶ *Dei* à *dilectione*
speciali, qvâ *D E U S* credentes amplectitur. 2. κλητοὶ
ἄγιοι *vocati* sancti. Hisce *dilectis* Dei *Apostolus* precatur gratiam
& pacem v. eod. *Gnōsia vobis*, & *pax* à *Deo* *Patre nostro*, & *Domino* no-
stro *Iesu Christo*. Ubi χάρις *gratia* significat *Dei* benevolentiam, vel
favorem gratuitum, εἰρήνη verò effectum *gratiae*, nam *justificati*
pacem habemus per *Dominum nostrum* *Iesum Christum*. Particu-
la v. copulativa καὶ h. l. non construitur cum pronomine οὐσίᾳ &
nomine κυρίᾳ sed cum nomine μαρτύρος & κυρίᾳ ita, ut præpositio
δοῦ sit referenda simul ad vocē μαρτύρος & vocē κυρίᾳ, sicuti, 2. Tim.
1, 2. *Pax* à *Deo* *patre*, & *Christo* *Iesu* *Domino* *nostro*, & 2. Joh. v. 3. *Sit*
vobis *cum* *pax* à *Deo* *patre* & à *Domino* *Iesu Christo*, ubi prono-
men οὐσίᾳ omittitur. Etsi igitur *Christus* h. l. non appellatur *Deus*
illud tamen non derogat ipsius divinitati, utrumq; enim putâ *De-*
um *esse*, & *Dominum* *esse*, de *Christo* in *scripturâ* *Sacrâ* satis dilu-
cidè pronunciatur. *Deus* dicitur supra *omnia* *benedictus* in *secu-*
la. Rom. 9, 5. *Deus* *magnus*. Tit. 2, 13. *Deus* *verus*. 1. Joh. 5, 20. *Qvam-*
obrem *Paulus* h. l. eadem petit à *Christo*, qvæ à *vero*, & *solo* *Deo*
petenda. *Dominus* dicitur *omnium*. Act. 10, 36. *Dominus* *gloriz*.
1. Cor. 2, 8. *Dominus* *cœli* & *terræ*. Matth. 28, 18.

Salutationem religiosam sequitur immediatè *gratiarum* *actio*,
qvâ *gratias* agit *Deo*, qvòd *fides* *Romanorum* in *toto* *mundo* an-
nunciatur v. 8. *In primis autem* *gratias* *ago* *Deo* *meo*, *per* *Iesum Christum*
super omnibus vobis, *quod* *fides* *vestra* *annunciatur* *in* *toto* *mundo*. Ubi
B 2 per s.

v. 7.

v. 8.

per fidem intelligitur Romanorum religio, vel doctrina Christiana, sicuti i. Thess. 3, 10. Ex hoc autem loco nullà ratione sequitur, qvod Romanorum fides pro norma sit habenda: aliud enim est, annunciare in toto mundo, Romanos incepisse pro salvatore, & Filio Dei agnoscere Jesum Christum à Judæis crucifixum, & aliud est, Romanorum fidem, vel religionem pro normâ agnoscere. Qvemadmodum igitur ex h. l. non sequitur, qvòd Romanorum Fides pro norma sit habenda, ita quoq; ex eodem Ecclesia Romana nullâ ratione vocari potest Catholica. Non enim sequitur: Fides vel religio Christianorum, qvi tempore Pauli vixerunt Romæ, annunciatæ est in toto mundo. E. Ecclesia Romana est Catholica. Eo enim modo darentur plures Ecclesiæ Catholicæ, qvod enim h. l. dicitur de Ecclesiâ Romanâ, illud quoq; dicitur de Ecclesiâ Thessalonicensium. i. Thessal. 1, 8. Cum verò nulla precatio, & gratiarum actio Deo placere possit, nisi illa in Christi nomine sit instituta, Apostolus gratias agit Deo per Jesum Christum, ut ostendat cuius merito, & virtute credentes admittantur ad thronum divinæ gratiæ. Qvibus propositis Apostolus anticipat objectiones eorum, qvi ipsius adventum in Italia anxie expectarunt.

Object. I.

Paulus potuit ad nos venire, ut prædicaret Evangelium sicuti apud Grecos, non autem vult.

E. Paulus ad nos non veniet, neq; Roma prædicabit Evangelium.

Resp. ad antecedens Negando. Qvod enim velit Romanam venire probat sequentibus argumentis.

Primum Argumentum.

Paulus sine intermissione mentionem facit Romanorum & semper in orationibus suis rogat, si quomodo tandem aliquando prosperrum iter sibi detur ex voluntate Dei, ut veniat ad illos.

E. Paulus vult venire Romanam.

v. 9. 10. Antecedens i. proponit v. 9, 10. Qvod indesinenter meminerim vestri

vestri semper in precibus meis rogans, ut si quomodo tandem aliquando prosporum iter mibi detur ex voluntate Dei, veniam ad vos. Ubi adverbium *mixtum* denotat orandi frequentiam, & consuetudinem singulis diebus iteratam. Quoties autem Apostolus singulis diebus oraverit, non constat. Apud Judæos autem tria erant orandi tempora, ut hora tertia, hora sexta, & hora nona, quæ apud nos die æquinoctiali sunt hora nona, duodecima, & tertia. Quare Petrus Apostolus ascendit circa horam sextam in cænaculum orandi causâ, Actor. 10, 9. Horâ nonâ ipse, & Johannes perrexerunt ad templum precandi gratiâ. c. 3. 1. Paulus verò procul dubiò nocte ac die precibus Deum sollicitavit, ut sibi liceret Romanam ire, & ibidem prædicare Evangelium, quemadmodum nocte ac die supra modum, oravit, ut sibi liceret videre faciem Thessalonicensium, & supplere ea, quæ illorum fidei deessent. 1. Thess. 3, 10.

2. Probat testimonio ipsius Dei, quem pectore religioso, testē invocat, & eolis spiritu suo in Evangelio Filii ipsius, quod proponit v. 9. *Testis enim mihi Deus, cui servio Spiritu meo in Evangelio Filij ipsius.* Ubi in re seria, & gravi Apostolus testem invocat, & accersit ipsum Deum, illudq; facit pectore religioso. Addit enim ἀληθέως εἰ πρέπει με, cui servio Spiritu meo. Quod verò h. 1. exprimitur per verbum ἀληθέως, illud in aliis scripturæ locis denotatur per verbum ἀληθέως, ut in hac epistolâ c. 7, 6. c. 14, 18. Act. 20, 19. Eph. 6, 7. Phil. 2, 22. Col. 3, 24. Discriben igitur quod esse dicitur inter ἀληθέως & ἀληθέως nullo nititur fundamento.

Conseqvens probatur, quia amantes sapissimè amicorum faciunt mentionem, & occasionem querunt, ut coram cum illis possint colloqui, suamq; voluntatem ad inserviendum promptam, plurimis argumentis testatam faciant.

Secundum Argumentum.

Paulus desiderat videre Romanos, ut aliquid imperitiat ipsis donum spirituale, quod confirmetur in agnitiâ, & suscepâ veritate Evangelicâ.

E. Paulus vult venire Romanum, & ibidem prædicare Evangelium.

v. II. Antecedens 1. proponit v. 11. *Desidero enim videre vos, ut aliquis impetrari vobis donum spirituale, ut vos habilitam.* Ubi finis desiderii Pauli dicitur esse doni spiritualis communicatio, & ipsorum Romanorum Confirmatio. 2. Explicat v. 12. *hoc est, ad communem exhortationem percipiendam apud vos per mutuam fidem vestram, & meam.* Ubi Apostolus declarat, quod per illam confirmationem, & doni spiritualis communicationem velit, ut ipse, & Romani spirituales mutuac colloqviis, mutuâ exhortatione & consolatione sese erigerent, quâ tristissimas afflictiones, & acerbâs persecutioes propter nomen Christi patienter ferrent, vitæq; cœlestis coronam, ut milites Christiani virtute Spiritus S. adversus hostes regni Christi fortiter pugnantes, alaci animo expectarent. Nam charitas Christiana, vel Christianorum vocatio non permittit, afflictos vel solatio indigentes negligi, & abq; piâ consolatione, & exhortatione relinqui. Etsi igitur Romani Apostolum non potuerunt juvare in dono cognitionis Evangelicae doctrinæ, quam ipse immediate acceperat à Domino, ipsum tamen monere, & adhortari potuerunt, ut gravissimas afflictiones, & durissimas persecutioes patienter ferret, quemadmodum ipse Paulus Ephesios rogat, dicens: *Propterea preeor, ne segnes fatis in afflictionibus vestris &c.* Eph. 3, 13. 16. 17. Fundamentum hujus exhortationis & consolationis est fides salvifica, dicit igitur Apostolus: *Per mutuam fidem vestram & nostram.* Ubi igitur nulla est fides salvifica ibi quoq; nulla potest esse mutua consolatio, & exhortatio, quia ibi nulla est Charitas Christiana. Qvæ cum nostris, temporibus sit rarissima, & in cordibus hominum extincta, rara quoq; est sincera consolatio, & mutua exhortatio: consolatio qvidem fucata acceptatur ambabus manibus, exhortationem verò quis non aspernatur? Nec est, ut quis sese hic excipiat, nemo enim adeò est perfectus, ut exhortatione non indigeat, Paulus erat vas electum, & vocatus Apostolus ad prædicandum Evangelium; tantum autem abest, ut piam Romanorum exhortationem repudiaverit, ut etiam illam maxime desideraverit. Sciebat enim fidem mutuâ exhortatione crescere, sanctos in bono proposito confirmari, & qvemcunq; Christianum hanc habere vocationem, ut proximum exhortatione piâ, & religiosâ adficeret.

Qvod

Quodiverò non potuerit haclenus Romam venire, ut inter Romanos quoq; fructum aliquem haberet, sicut inter reliquas gentes, eosq; erigeret, & confirmaret in sancto proposito, & desiderio pio, probat sequen. argum:

Paulus haclenus non potuit Romam venire cō Gēlīq; Gēz, vel ex Dei voluntate, ut fructum aliquem haberet inter Romanos quoq; sicut & inter reliquas gentes.

E. Paulus haclenus Romam venire non potuit.

Antecdens proponit v. 13. Nolim autem vos ignorare, Fratres, messe p̄e propositusse venire ad vos, sed prob̄bitum fuisse uig; adhuc, ut fructum aliquem haberem inter vos quoq; sicut & inter reliquas gentes. Ubi Apostolus responder per translationem causæ haclenus suspensi in reis Romam dirigendi; qvæ licet h. l. non exprimatur, verisimile tamen est illam principaliter fuisse Dei providentiam. Nam homo, qvod sibi proponit, Deus disponit. Qvando igitur cordis scrutator videbat, qvōd in Græciā plures animæ possent adduci ad Christi regnum, Apostolum jussit subsistere Corinthi Act. 18. Nam v. 10. dicit Deus; populus multus mihi est in hac civitate. Non autem hinc sequitur, Deum impedivisse Evangelii cursum, vel Romanis Evangelii potentiam invidisse, potuit enim Evangelium Romæ prædicari, etiam si Paulus nunquam cō venisset, qvod etiam factum est per alios Ecclesiæ Doctores ante Pauli adventum, quales fuere Andronicus, Urbanus & alii.

Finis propter quem Apost. desiderat Romam proficisci, est Ecclesiæ Romanæ ædificatio, qvod expressè indicant verba illa, ut fructum aliquem habeam inter vos quoq; sicut inter reliquas gentes. Nam Apostolus nihil magis expetebat, qvam ut officio sibi à Christo commi ssio fideliter fungeretur, & Ecclesiæ Christi ubiq; apud gentes ædificaret. Qvo ipso omnibus Ecclesiæ ministris est exemplo, ut unusquisq; de eo potissimum sit sollicitus, ut Ecclesiæ fidei suæ commissam qvam diligentissimè observet, & ædificet.

Conseqvens probatur, qvia renati humilimè submittunt sese Dei voluntati, & ipsius nomine, & auspiciis iter sibi propositum suscipiunt & aggrediuntur. Quemadmodum igitur Jacobus, c. 4, 15. dicit, ias

οὐκέτι

Εἰπε γέρων οὐτε λέγει, σι Δομίνος υλούειτ, φασιμενος: Ιτα όντος
Παύλος Ρωμανος ή. l. v. 10. πολικετος, σε Ρωμανοντ υρον, οὐτε
λέγει οὐτε i.e. ex voluntate θεοι, & cap. 15, 32. οὐτε οὐτε οὐτε
per voluntatem θεοι.

Object. II.

Romani sunt Barbari.

*E. Paulus non vult venire Romam, ut fructum aliquem
habeat inter Romanos, sicuti inter Græcos.*

Resp. argumentum invertendo,

Romani sunt barbari.

*E. Paulus vult venire Romam, ut fructum aliquem
habeat inter Romanos sicut inter Græcos.*

Consequens probat seq. argum:

*Paulus est debitor Græcis & Barbaris, sapientibus &
insipientibus.*

E. Paulus quicquid in se est vult venire Romam. &c.

V. 14. Antecedens proponit v. 14. *Et Græcis & Barbaris, sa-
pientibus, & insipientibus debitor sum.* Ubi Apostolus docet, qvòd
teneatur ex munere Apostolico qvibusvis hominibus sine respe-
ctu Personarum annunciare Christum. Romani autem dicuntur
Barbari ex sententiâ Græcorum, à qvibus vocati sunt Barbari, qvia
alio, qvā Græco Idiomate sunt usi. Qvæ indeterminata & illi-
mitata assertio non tantum ostendit, eruditos & sapientes æqvè in-
digere doctrinâ Evangelicâ, & hîc habere, & invenire, qvod discant,
ac simplices & rudes, sed etiam vocationem illam, qvam Deus in-
stituit per suos ministros esse universalem, & neminem excludere.
Qui enim vult vocari per suos ministros, Græcos & Barbaros, sa-
pientes & inscios, ille omnibus hominibus offert bona spiritua-
lia. Neq; hîc dicendum est, Deum non velle omnes serio vocare.
Dicit enim Apostolus, se debitorem esse Græcis & Barbaris, sapi-
entibus & insipientibus, qvo ipso non tantum officii, sui exprimit
necessitatem, sed etiam significat, quid omnes homines jure pos-
sint petere à suis debitoribus, qvales erant Apostoli, & nunc sunt
Ecclæsiæ ministri.

Con-

Conseqvens proponit v. 15. *Itaq; quicquid in me sicutum est, prom-
penm est, ad vobis etiam qui Rome estis, Evangelizandum.* v. 15.

Object. III.

*Evangelium de Filio Dei Romæ ab Epicureis, & filiis hujus
seculi contemnitur, & nihil estimatur.*

*E. Paulus illis, qui Romæ sunt Evangelium non vult pre-
dicare, ut fructum aliquem habeat inter illos sicuti inter
Græcos, vel reliquas gentes.*

Resp. argumentum invertendo.

*Evangelium de Filio Dei Romæ ab Epicureis, & filiis hujus
seculi contemnitur, & nihil estimatur.*

*E. Paulus illis, qui Romæ sunt vult prædicare Evangelii-
um Ec.*

Conseqvens probatur, qvia Paulum non pudet Evangelii Chri-
sti, qvod i. proponit v. 16, *Non enim me pudet Evangelij Christi.* Ubi per
Evangelium Christi intelligitur doctrina de Christo, Salvatore mun-
di, & reconciliatione gratiarum hominis peccatoris cum Deo, remissio-
ne peccatorum, liberatione a maledictione legis, & potestate Sata-
næ, ubi enim in scripturæ effectus Evangelii dicitur vita, justitia, & sa-
lus æterna, ibi hæc vox denotat concionem gratiæ, & opponitur le-
gi, siqvidem justitia, vita, & salus non sunt ex lege, sed ex Evangelio.

v. 16.

2. Probat sequenti argumendo.

*Evangelium Christi est potentia Dei ad salutem omni-
credenti.*

E. Evangelij Christi Paulum non pudet.

Antecedens i. proponit v. cod. *Potentia enim est Dei ad salu-
tem, ubi Evangelium describitur ab effectu, qui est salus æterna.* Per
dúraq; autem vel potentiam non intelligitur Filius Dei, vel ver-
bum hypostaticum; Nam aliter Deus potens est in Christo, aliter in
Evangelio. In Christo potens est, ut mundi salvatore vel humani
generis Redemptore, per Evangelium autem potens est tanquam per
organum, vel instrumentum, per qvod in corde contrito excitatur

C

fides

CAPUT I.

18

fides, & spes futuræ gloriæ, qvare Eph. 1, 13, dicitur *Evangelium salutis. c. 6, 15.* *Evangelium pacis, Philip. 2, 16.* *Evangelium vitæ.* Non autem absoluē nobis in *Evangelio offertur salus, remissio peccatorum, & vita æterna, sed sub conditione fidei, qvamobrem Apostolus non simpliciter dicit: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti, vel meritum Christi fiducialiter apprehendenti, cui *Evangelium est odor vitæ ad vitam & salutem. 2. Cor. 2, 16.**

2. Probat per inductionem sequent. Argum.

Evangelium est potentia Dei ad salutem Iudeo credenti & Græco credenti.

E. Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Antecedens proponit v. eod. *Nam potentia Dei est ad salutem omni credenti, Iudeo primum, & Græco.* Ubi $\tau\delta\pi\omega\tau\pi$, vel primum non denotat prærogationem salutis, sed dispensationis, & ordinis. *Nam Iudeis oportebat primum annunciarī sermonem Dei de Messiā exhibito ad complendas promissiones. Act. 13, 46.* Dico autem *Iesum Christum ministrum fuisse circumcisioṇis pro Dei veritate ut confirma ret promissiones Patrum. Rom. 15, 8.*

Consequens probatur: *Quia Græci appellatione intelligitur omnis homo, qvi non est Iudeus, sicut cap. 2. v. 9, 10. cap. 3. v. 9. cap. 10. v. 12.*

2. Probat antecedens sequenti arguento.

In Evangelio iustitia Dei revelatur ex fide in fidem.

E. Evangelium est potentia DEI ad salutem Iudeo credenti, & Græco credenti.

v. 17.

Antecedens 1. proponit v. 17. *Justitia enim Dei in illo revelatur ex fide in fidem.*

2. Probat seqv. argum.

In Evangelio scriptum est, Justus ex fide suā vivet.

E. In Evangelio Iustitia Dei revelatur ex fide in fidem. Antecedens probat testimonio Prophetæ Habacuc. *Qvod proponit v. eod. Sicut scriptum est, scil. Habac. 2, 4. Justus autem ex fide vivet.*

46): 0:(90

Ex solo DOMINI verbo sapientia vera:
Sola viam vitæ pagina sancta docet.
Ergo sapi, mi BERKOVI, qvod, pulpita scandens,
SCRIPTURÆ textum pensiculare studes.
Perge sacris studiis sic invigilare, nec unquam
Cœli tunc deerit gratia, amice, tibi.

*Cum voto omnigenæ in Domino prosperitatis
Eximio Dn. Respondenti, Auditori suo solertissi-
mo, scrib. gratulab.*

CHRISTIANUS Kortholt/
D. & P. P.

Gie steht der Themis Sohn und ist bereit zusagen/
Van jemand auf der Schrifft Ihm etwas wur-
de fragen:
Wie ers verstehen soll? wer so weis diese Kunst /
Der hat des Himmels Gnad und vieler Menschen
Gnust /

*Dem Herrn Respondentem zu Ehren
schrieb dieses wenig erligst
Georgius Rorie, S. P.*

Sic virtus stimulis Te fodit acrior
Ult sacro Aonium tramite pulverem
Collegisse juvet, dulce decus meum
BERKOVI! Ingenij viribus impiger
Pugnas pro taciti semine Numinis
Quod rex hic Opifex mentibus in didit
Insevitq; truces insidias quoq;
Socini scelerati atq; atheos pravos
Fundis. Nunc igitur nunc labor improbus

Sudor 2

*Sudor & ingenius nobile & Otium
Virtuti referent premia maxima.*

*Amoris mnemosynon
scrib.*

Caspar Hermannus Sandhagen/

O te felicem Patriam! Tibi nempe rigatur
Betula. qvam, spero, secula docta canent.

*In veri amoris notam bac qualia
qualia precipitabat*

Ernestus Krantz/Berlinas.

R önte man durch Müssig-gehen Klug / | Gelahrt
und Witzig werden /

D Würd' der ärgste Epicurer der gelahrtste seyn
auff Erden.

Nein / durch stetigem Studiren und durch uner-
spahrt' Fleiß

Can man einig nur erlangen / daß man diese Kün-
ste weiß.

Dieses kan Herr Berkow mercken / drum hat Er in
seinen Jahren /

Die noch zart / die freyen Künste zuerlernen nicht zu
spahren /

Seinen steten Fleiß versporchen. Hiedurch machst
du dich bekandt.

Recht! der Höchste bleibt dir gnädig / und ge-
neigt dein Vaterland.

Dem Herrn Respondentem als seinen
sonderlichen Freund zu Ehren
schrieb dieses wenige eyligst

Stephan Derenthal/ von Riga
aus Lieflland.

— () : () : () —

EPIS. AD ROMANOS.

Quodiverò non potuerit hactenus Romanam venire
i^{us} qvoq^z fructum aliquem haberet, sicut inter reliquias
erigeret, & confirmaret in sancto proposito, & desiderio
sequen. argum:

Paulus hactenus non potuit Romanam venire c^{on}vel ex Dei voluntate, ut fructum aliquem hab^{er}et
manos quoq^z, sicut & inter reliquias gentes.

E. Paulus hactenus Romanam venire non posse.

Antecedens proponit v. 13. Nolim autem vos ignorare
p^{er} proposuisse venire ad vos, sed prob^{abil}iter fuisse usq^z ad
aliquem haberem inter vos quoq^z, sicut & inter reliquias g^{entium}
postolus respondet per translationem caus^e hactenus
ris Romanam dirigendi, qv^e licet h. l. non exprimatur
tamen est illam principaliter fuisse Dei providentia
qvod sibi proponit, Deus disponit. Qvando igitur co
videbat, qvod in Græciâ plures anima^e possent adduci
gnum, Apostolum jussit subsistere Corinthi Act. 18. Nam
us, populus multus mihi est in hac civitate. Non auto
tur, Deum impedivisse Evangelii cursum, vel Romenis
centiam invidisse, potuit enim Evangelium Rom^e p^{re}ce^{re}
Paulus nunquam est venisset, qvod etiam factum est per
Doctores ante Pauli adventum, qvales fuere Androni
& alii.

Finis propter qvem Apost. desiderat Romanam prof
ecl^{esi} Roman^e ædificatio, qvod expre^{se} indicant ver
etum aliquem habeam inter vos quoq^z, sicut inter reliquias g^{entium}
Apostolus nihil magis expetebat, qvam ut officio sibi a
missio fideliter fungeretur, & Ecclesiam Christi ubiq^z ap
dificaret. Qvo ipso omnibus Eccles^{ie} ministris est ex
nusqvisq^z de eo potissimum sit sollicitus, ut Ecclesiam fi
missam qvam diligentissime observet, & ædificet.

Conseqvens probatur, qvia renatus humilime submittun
luntati, & ipsius nomine, & auspiciis iter sibi propositum
aggreduntur. Qvemadmodum igitur Jacobus, c. 4, 1.

the scale towards document

v. 13.




Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No. [redacted]